

**Novae bibliothecae S.S. Trin. Coll. Dub. descriptio poema ... Ad calcem  
accesserunt nonnulla varii argumenti epigrammata / Authore \*\*\*\*\* A.M.**

### **Contributors**

A. M.  
Trinity College (Dublin, Ireland)

### **Publication/Creation**

Dublin : R. Reilly for T. Thornton, 1735.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/upzgxy6b>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

38932/P



NOVÆ BIBLIOTHECÆ

S. S. Trin. Coll. DUB.

DESCRIP T IO

P O E M A:

In Duabus PARTIBUS.

Ad Calcem accesserunt nonnulla varii  
Argumenti Epigrammata.

---

*Neque te ut Miretur turba, labores  
Contentus paucis Lectoribus*

HOR.

---

AUTHORE \* \* \* \* \* A. M.



---

DUBLINII:

Ex Typographæo R. REILLY:

Impensis THOMÆ THORNTON, Bibliopolæ in  
Vico, vulgo dicto, Collage-Green, M, DCC, XXXV.

WONN E BLDG. YORK ST.

2.3. Tim. Cl. D. U. R.

D E S C R I P T I O

P. O. E. M. A.

WONN E BLDG. YORK ST.

WONN E BLDG. YORK ST.

WONN E BLDG. YORK ST.

WONN E BLDG. YORK ST.



D. U. R.

EX. Typographic

WONN E BLDG. YORK ST.




## Monitum ad Lectorem.

**M**ENDÆ nonnullæ, quæ sparsim in sequenti carmine reperiuntur, & quas nostra aliquando oscitantia, & Typographorum perinde incuria fudit, in hoc loco, corrigendæ vel delendæ consulto præmittuntur, ne Errores etiam publici juris faciamus.

## ERRATA.

**P**AG. 4. lin. 5. pro ac leg. aut. Ditto l. 11. Nos autem meliora, &c. p. 6. l. 3. Atq; periscelidas contextit laude Corinnæ. Ditto l. 21. pro pridem leg. olim. p. 7. l. 10. leg. Cyclos. Ditto. l. 13. leg. lingua. p. 8. l. 2. At vos. p. 9. l. 10. leg. tornatur. p. 14. l. 11. lege cadavera. p. 15. l. 15. leg. Atq; Amoralatus. Ditto l. 21. Newtoniq; comes Genius, &c. Ditto l. 22. Sub pedibusq; p. 16. l. 17. pro Rudimenta leg. genus omne p. 17. l. 13. leg. pelagoq; p. 20. l. 29. dele &. p. 26. l. 17. pro locus & leg. spatiumq;



Monitum ad Lectorem.

M. B. N. D. E. ... que ... in ...  
... et ...  
...  
...

E R R A T A.

...  
...  
...  
...  
...  
...  
...  
...

...



## *Novæ Bibliothecæ Descriptio, &c.*

*Interlocutores, Phædrus, Hylas, &  
Pamphilus.*

### ARGUMENTUM.

*Scholastici quidam, Scholam in Bibliotheca, Philosophiæ Naturalis studio destinatam, spectatum admissi, inter se mutuo loquuntur: Unus, præ reliquis, Interpretis officio fungitur, si quando machinæ, vel Phænomena, vel alia inusitata occurrerent, quæ captui Tyronum parum commoda, Explicatione indigeant.*

### H Y L A S.



**N**ATURÆ Ambages, Physicæ spectacula scenæ,  
Hactenus in tenebris occulta, scientor Ætas  
Explicat, & sanctos audet recludere fontes.  
Diduxit quoties variam sententia mentem,  
Quid, sit materia, & lex luminis atq; colorum,  
Cartesiana Quies, et *Elasticitatis* origo,  
Cur tantum ad gelidos Magnæs tremit usq; *Triones*;

Pur-



Purpureo micat aut Arteria tenfa liquore :  
 Prifmatis aut Cunei fignant confinia lucis,  
 Aut luna oceani alternos premit & trahit æftus.  
 Singula cur memorem, quæ vel latuere priores,  
 Ac veluti obfcuræ nebulæ, fub imagine falſâ,  
 Elufere oculos tantum, dum gurgite rerum  
 Immenſo, cauſæ Sparſim patuere fugaces :  
 Tum Dea Naturæ paucos, quos æquus amavit  
*Jupiter*, arcanis admiferat, at fuit illam  
 Vel ſatis in ſæclo toto potuiſſe videre.  
 Sed nos meliora novi docuere parentes,  
 Omnia perſpexit penitus felicior ordo  
 Annorum, hæc ſchola, res antiquæ laudis, & artis  
 Ingreditur, fictaſq; jubet vanefcere cauſas.  
 Hic *Hortum*, juxtaq; *Stoam* invenietis, & otî  
 Hic liceat ſtudiis totum conſumier ævum :  
 Quare agite, O Juvenes, vos pleno pectore tangant  
 Laudis amor ſacræ, & generoſa Incendia mentis,  
 Hæ tibi erunt Artes ----- *Χρῆμα ἀλφειοσι Βογτῆσι*

*Phæd.* Quorſum hæc *Aſcræum* redolentia verba Poetam,  
 Verficuli quorſum, male fartæ fragmina Muſæ ?  
 Tune cubans nuper patuli ſub tegmine *Rami*  
 Carminibus *Logicen* mutes *Apodiſtice*, denas  
 Atq; *Categorias* fic Muſis ter tribus ornes  
 Hoſne ſuos fructus, has fert *Smiglecius* artes ?  
 Præluceſt *Pindo Burgerſdicianæ* *Synopſis* ?  
*Glaucus* cum *Diomedæ* velut mutaverat arma.

*Hyl.* Nonne mihi et liceat, vel ſummâ ſtringere linguâ  
 Aonios Latices, dum tu graviore *Cothurno*,  
 Aitius immerſus, toto te proluis alveo.

*Phæd.* Non equidem invideo, miror magis, usq; tremendum  
Cum te *DARAPTI*, sibi vendicat, atq; *FELAPTON*  
Cum resonas *NIPCAS*, *NAPCAS*, ac *BARBARA*  
verba,

Intus alis Musas, & molli carperis igne.

*Hyl.* Et tu versiculos, ni falsa est fama, solebas  
Stridenti miserum disperdere-----

*Phæd.* Carmine me recreo fateor, sicut meus est mos,  
Me portentosi cum cepit nausea libri :  
At cito Pierios *CELARENT* dicta lepores  
*BARBARA*, jam stolidas *FESTINO* relinquere nugas.

*Pamph.* Non adeo Sophus est quin carmina pauca supersint,  
Etsi pauca, tamen veteris vestigia flammæ  
Agnoscit *Phæbiq;* cliens, *Charitumq;* sacerdos,  
Si quid habes ergo, nugari desine, profer.

*Phæd.* Afferit A negat E. *Hyl.* Verum [est tibi forte *Cere-*  
*brum*,  
Aut *Cerebrum* inversum, & *conversio facta per Accid*,  
*Quantitatem* minuit, certa *qualitate* retenta.

*Pamph.* Quis tam mentis inops, qui non te, *Phædre*, fatetur,  
Haud equidem indoctum, nec prorsus ad infima natum,  
Te logicis potius juvat insudare falebris,  
Quam reparare lyram, & desueta revisere *Tempe*,  
Et *Ramo* aridior, visa est *Parnassia Laurus*.  
Nuper enim memini, dum librum vatis amici  
Inspexi furtim, sua purpura prodidit artem,  
Pagina lineolis minii celebrata rubentis,  
Effulsit passim, & theoremata picta superne  
Aut radio, aut plumbo, *Hyl.* Sat congeniale metallum est !  
Versiculos tantum logicos, Rubrica notavit  
Crede mihi, miserum tenet insanabile *Phædrum*.

Scribendi cacoethes adhuc----- si me fatis audis,  
 Cuspidadat inciso tenues Epigrammate cultros,  
 Aut intertextam celebrat periscelide *Chlorin*.

*Pamph.* Parce, puer, stimulis, & loris utere linguæ  
 Suavior en campus placidos delectat ocellos,  
 Dum tantum nugis volitantem impendimus horam :  
 Majestate loci teneor, genioq; laborum  
 Seu Valvas lustro, libris decora alta futuris,  
 Murorumve minas, pluteisq; capacibus arcus,  
 Æmula *Memphiticæ*, seu summa palatia pompæ  
 Et sunt plorandi rigua pietate *Priores*  
 Jam rude donati, *conclamatæq; favillæ*,  
*Ufferii, Dodwelli & reliquæ Chaloneri*,  
 Queis debere placet primæ incunabula suadæ.

*Hyl.* Versiculos geminos primi prope claustra Sacelli !

*Phæd.* Hæc erat in votis, Domus ingens, fera voluptas  
*Castalidum*, dulces quæ fata benigna recessus,  
 Immotamq; coli per sæcla dedere *Thaliam*.  
 Nempe dies aderit, cum scrinia mille Silentis  
 Servabunt oculis, Annosa volumina mundi,  
 Quæ sua fama pridem, & Libitina sacravit in Ævum.

*Pamph.* Ornabit pluteos pretiosa & docta supellex,  
 Ipse *Palatinus* qualem non jactat *Apollo* ;  
 Nec sibi jam *Romæ* speret Mendacior Augur.

*Phæd.* Scriptorum chorus omnis adest, et conflua Musa !---  
 Ipse mihi videor, *Trojam* spectare renatam,  
 Æneadumq; fugam, cum tu, Divine Poeta,  
 Tendis in hoc *Latium*, nitidos subiture penates,  
 Squallore & tineis, deterfo et pulvere docto:

Omnigenæ stabit linguæ domus Hospita Musis ;  
 Quisq; sibi Mundi notas leget Incola voces  
 Quicquid habet peregrinus *Arabs*, aut ordine verso  
 Picta finistrorsum, *Solymeæ* Elementa Magistræ,  
 Quid *Syrus*, aut *Coptos*, quid & undiq; tinnit *Eoæ*  
 Musa Lyræ, quid & antiqua ampulletur *Ierne*,  
 Aspera raucifono quæ fingit verba palato ;  
 Quicquid habet monstri, *Sinarum* littera, tanquam  
 Tortura abnormis, Magiciq; character *Agrippæ*  
 Designare Cylos, quo non præstantior alter,  
 Et revocare graves *Circæo* carmine Manes.

*Pamph.* Illa Domus, ceu *Babel* erit, qua plurima mundi  
 Linqua coit. *Phæd.* Tamen est Linguarum lucidus ordo.  
 Contemplator item, spatium quo latius extat  
 Quisque sibi immensus pluteum prope vendicat Auctor.

Pulverulenta cohors, & magni nominis umbræ  
 Martyribusque Patres cælestia dona ferentes,  
 Solenni proprios locupletant lumine Classës,  
 Doctrinæq; premunt, aras, abacosque gementes,  
 Hæc oculis monumenta ligant ingentia vincla,  
 Taurinis solidata togis, corioq; rigenti.

*Pamph.* En Captiva Cohors, iterum excrucienda catenis  
 Pellibus hirsutis, & quæ fata aspera vivos  
 Afflixere Patres, eadem nec morte relinquunt !

*Phæd.* En Polyglotton opus varium seu Biblia vasta,  
 Quæ sacros fermone ligant septemplice textus,  
 Quorum molem immensam, & propugnacula docta  
 Ærea compactis astringit lingula valvis.

*Pamph.*

*Pamph.* Verum equidem *Ajacis* clypei septemplicis instar  
Singulus est liber. *Phæd.* Vos Exemplaria sacra  
Nocturna versate manu, versate diurna,  
Et referate penu Authorum, melioribus annis  
Quos tulit emeritos, Ecclesia prisca virorum.

His quoq; nidificant, Silicernia Classica, claustris,  
Purpureis distincta notis, quibus ore nitenti  
Fulvus adest titulus, minioq; intermicat aurum,  
Materiæ non impar opus. *Hyl.* Mihi sæpe legenti  
Suavior aurato fuit ex velamine Musa.-----

*Phæd.* *Enni*, *Pacuvii*, *Afranii*, musamq; *Menandri*  
*Stesichori*, *Alcæiq;* minas, suspiria *Sapphûs*,  
Reliquias *Danaum*, ac munuscula rara \* *Corinnæ*,  
Hic sortita tenent sua scrinia quæq; decenter.

At quod continuo manet imâ mente repostum,  
Scripta manu defunt, et toto vix quater *Ævo*  
Membranam invenimus, sine quâ non Bibliothecæ,  
Nedum *Bodliacæ*, des nominis hujus honorem.

Quis modo restituet disjecto membra Poetæ,  
Aut quis *Lucilii*, vel dimidiata *Maronis*,  
Carmina restituet, vel manca tonitrua Rostri.  
Sustinet ah quoties nova crimina non sua *Flaccus*,  
Syllaba cum fugit, aut latet integra littera vultu  
Ambiguo, dubiæq; refert vicinia vocis,  
Unica Vocalis putri surrepta papyro,  
Sæpe solet Musæ, et perituræ parcere chartæ,

---

*Mulier quædam Nobilis, quæ memoratur apud Plutarchum cantando  
Pindarum superasse.*

Adde, quot egregias mendas secum attulit ævum,  
 Quæ trito effluxere typo, exesiq; figillis?  
 Quis limæ ingratos exegerit arte labores?

*Hyl.* Dum typus ipse creat culpam, aut fælicior error  
 Corrigit in melius, punctumq; reponit amicum.

*Pamph.* Id cinerem, & Vates credas curare sepultos?

*Phæd.* *Zoilus* id curat, qui chartas oblinet atris  
 Transversim calamis, & in hoc conspirat acerbi  
 Cuspis *Aristarchi*, & diducto *Mævius* ore,  
 Dum male tornnatur, digito micat indice, versus,  
 Et veluti Lyricos interstrepet anser Olores.  
 Edere Pierias, scripto sine codice, Leges,  
 Non Dii, non homines, non præla sonantia cedunt.

*Pamph.* An sine membranâ antiquâ vel condere carmen,  
 Vel liceat facilem sperare in vota *Tbaliam*?  
 Integra quæ tutò puras descendat in aures,  
*Quintilii* argutum neq; bis formidet acumen.

*Hyl.* At feros forsan manet hæc sua cura nepotès.  
 Nil simul incepit quod & idem perficit Author,  
 Hoc satis est; tenus hoc, miracula sacra moveri  
 Naturæ atq; Artis, deerit neq; gratia *Musis*.  
 Ostentare typos juvat, hîc excusa metallis  
 Non prælis, *Redycina*, tuis indigna figilla;  
 Nec foret *Alma Soror*, virtute, aut clarior arte  
 Germanâ, si non viridi torpente Juventâ,  
 Deficerent animi, studiorum in limine primo,  
 Cum Logices terror, cum Barbarus Auctor ubiq;  
 Dulcibus avellit complexibus artis alumnos;  
 Dum puer ingenuus, qualis *Philomela* sub umbrâ

Amiffos queritur fætus, atq; obruta virtus  
 Delicias Mufæ, & venam fufpirat ademptam:  
 Adde truces vultus, levia ob commiffa, *Regentum*,  
 Demiffosq; Animos, ut non quicquam amplius audent  
 Sponte fuâ egregium, lævi dignumve Cupreffo.  
 O Utinam Ille; animos cui credita cura colendi,  
 Confulat imprimis Naturæ, atq; optet amari.

*Pamph.* Iuftitiam difcat, nec non impune superbum  
 Durare imperium, parvæq; Tyrannidis artes.-----  
 Hinc furor, hinc rabies, hinc funt tua crimina, *Alumni!*

Nos *Schola* Naturæ vocat, & fpeciofa fupellex  
 Obtundens Aciem, quid vaftrum ac grande fatetur;  
 Quot fpecies fpeculorum, & feſquipedalia vitra,  
 Quot *Phialæ*, *Throcleæ*, rotulæ, cuneisq; ftateræ!  
 Pneumaticæq; Ampullæ, & vafcula fingere *Inane*,  
 Subtilifque Bilanx dare pondus idonea ventis,  
 Opticus ac Chymicus, Magus & Mechanicus adfis.  
 Sed quis Naturæ fontes recludet Apollo?

*Phæd.* Non ego, non equidem tali me dignor honore.

*Hyl.* Optem equidem, at motos præſtat componere vultus.

“ *Regia Naturæ*, ſublimibus alta cylindris,

“ Clara micante Vitro.----- defecit Spiritus---- eheu!

“ Sunt oculis tenebræ per tantum lumen obortæ!”

Non fatis eſt, dixiſſe novum ſpectavimus orbem,

Si non quiſq; uſus rerum prope callet ad unguem,

Scire meum, nihil eſt, his *Ædibus*, audeat ille

Qui parvi pendit, ſi veris falſa remiſcet.

(ad *Phæd.*)

*Phæd.* Me pudor ipſe vetat, me cætera millia poſcunt,  
 Hoc opus *HELSAMIO* tantum quod vindice dignum eſt.

*Hyl.*

*Hyl.* Sed quæ proposito conducant, pauca loquaris----

*Phæd.* Quanquam animus memorare timet, luctuq; refugit,  
Sic tamen exoriar.----- Risum teneatis, Amici?  
Orbibus eni tubulus vitreis oculatus, ut inde  
Explores stellas, Lunæq; argentea rura,  
Quæ renovata globum, & discrimina lucis & umbræ  
Rorifluo maculas concretas prodit in orbe;  
Sæpius indages forsan in arundine longâ  
Oppida, frondosas sylvas, vaga cornua cervi,  
Et *Civem* Antiquum, (careat quis fraudibus orbis?)  
Qui vepres impune alieno furripit horto,  
Dum vix succiduo sustentat poplite furtum.

*Hyl.* Ludis amabiliter, sed non locus his datur, *Cæstro*  
Percitus esto Dei, vocemq; intendat *Apollo*.-----

*Phæd.* Os homini sublime dedit Deus *Æthra* tueri,  
Lucentemq; Polum stellis glomerantibus aptum.

Porticus hæc Cælos aperit, fruiturq; sub auras  
Liberiore Polo, qua prodigiosa fenestra  
Tendit ad extremum *Saturni* limen, in ipso  
Gurgite cæruleoq; natantia lumina condit,  
Inde tubi auxiliis, speculator sydera Fati,  
Et fixas Stellas, veluti sub luce propinquâ  
Digerit in numerum. *Pamph.* Salve, laqueare profundum,  
Astronomis *Parnassus* eris, sed fare, Poeta,  
Cur nova perculsum terrent spectacula mundum,  
Quæ tubuli vitreis longe conatibus obstant,  
Nuper enim, mihi manavit per compita rumor,  
Nubes ignivomum rutilas torrere Cometam.



At sperare licet, quod non cælestibus iris  
Syrmate crinito peregrinum accenditur astrum.-----

*Pamph.* Forſitan ignotæ primordia fervida ſtellæ  
Spectamus, ſphæramve novo luceſcere ſole.-----

*Phæd.* Aſtralis potius, perituri machina mundi  
Aera depingit mæſtum, nebulaſq; coruſcat,  
Noſtra foret talis reſoluto cardine Tellus,  
Cum tenui labefaſta cadent Elementa favillâ,  
Fatalis roguſ aut aliena eſſulget ad Aſtra.-----

*Pamph.* Claudite jam rivos, Pueri, Campana tonavit.  
*Hyl.* Fulmina quæ narraſ bruta, at noſ non ſumus ex hiſ,  
Qui nocui trepidant, quos tintinnabula terrent,  
*Pamph.* Auribus hiſ ſenſi, revolubiliſ adſonat Echo  
Clangoriſ tremuli----- *ὅτι δὲ μιν ἀποεχούσιν ὁμοῦν*

*Hyl.* Juſtum, ac tenacem juſtitiaſ virum,  
Non vox Tyranni dura jubentiſ, aut  
Aſpectuſ iſtantiſ Magiſtri  
Mente quatit-----

Carmine cras meliſ, cum venerit hora, canemus,  
Pro vice præſenti fatiſ haſ luſtravimus ædeſ.



## BIBLIOTHECÆ

## Pars SECUNDA.

## PHÆDRUS.



ERGITE, *Pierides*, gratum renovare labo-  
rem

*Pamph.* Quid genus hoc vitri est, excisum in  
mille figuras,

Quod solidis punctis, & acuto sydere splendet?--  
Centum intus facies, oculos centum, oraq; cen-  
tum,

Mendaci vitreæ fingunt imitamine quadræ.

Sume individuum culicem, muscamve pusillam,  
Simplice suppositam quadrâ, ChrySTALLINUS INDEX  
Dividuat variat molem, repetitq; figuram.

Millecuplum puncto simulachrum emergit ab uno,  
Vendicat & vitreum sibi singula sydus imago.

*Hyl.* Hinc forte *Huygenius*, Batavus, seu quis fuit alter,  
Multiplices finxit Sphæras, Solesq; minores,  
Sole Satellitibus, fixos & in orbibus orbes.

*Phæd.* En speculum, mimus solaris, & Organon ignis,  
Urit enim fulgore suo. *Pamph.* Quis Maximus orbis!  
Cui vix mensuram vel pes repetitus adæquat!  
Dicere non dubito, quin naves torreat ipsas  
Enormis vitri focus, aut quasi vitrea tæda  
Concremet aggestis elata cadvera Sylvis;  
Quis primum invenit Vulcania Vitra *Prometheus*,  
Quæ rapiunt tremulos cæli ex fornace vapores?

*Phæd.* Dædalea Ars, tantum est, quæ lucida tela diei  
Cogit in hoc speculi puncto, radiosq; refractos;  
Discutit ignifluo convexæ lampadis arcu,  
Dum vergit jubar in punctum, ceu pyramis ardens,  
Et vitri angusto violentius æstuat orbe.

Si fit tantus amor laudis, sis protenus Argus, (ad *Hyl.*)  
Te totum, ut faciant oculum, superosq; rogato:  
Aspicite hanc pictam tabulam, teretemq; *Cylindrum*  
Tornatum impense, liquido superante nitore,  
Auroræ lacrymas æstivo flore jacentes;  
Quare age sume rudem fucō rudiore tabellam,  
Subter quam nullam jures latitare figuram,  
Huic Chalybem superimpones---- effare quid hoc sit!

*Pamph.*

*Pamph.* Hoc pictum chaos est, rudis indigestaq; moles,  
Somnia Deliri.--- hæc Chalybis tornata columna est---

*Phæd.* Parcius hoc, nitidum circumvertatur in axem,  
Jamne aliquid captas? nimium ne sperne colorem,  
Etsi nec nimium credas, temerarie, nescis  
Te *Phæbum*, & *Charites*, triplicem te cernere nodum  
*Musarum*--- non sentis adhuc? sed & inde tamen, ceu  
Sublustri e speculo rerum tralucet imago.---

Spectra rotundato reflectit in ore Cylindrus  
Datq; animam fuco & paulatim educit *Apellem*.  
Emergit lento facies adaperata tenore  
Augur *Apollo* venit candenti nube decorus!

*Pamph.* O ego, quam lævus! vix sentio Numen adesse,  
Ipsa cothurnatæ præcedit *Clio* choreæ,  
Alatusq; *Amor* ridentes convocat *Horas*,  
Quæ gremiis ducunt redolentibus auricomum ver.  
Hic rubet Alma *Venus* niveis invecta quadrigis,  
Atq; oculos acuit flammâ, æthereoq; Nitore.---  
Sydereâ *Uranie* crines redimita tiarâ,  
Fluxa coloratis astringit pallia gemmis,  
*Newtoni* & *Genius* comes volat ultimus, altas  
Sub pedibus videt nubes, & Sydera nota.

*Hyl.* O fraus divina, O vis vivida lucis & umbræ!  
Quis calami incompto tractu, cumuloq; colorum,  
Credat inesse Deos--- Oculos aciemq; sequacem,  
Allicit irridetq; idem gratissimus error!

*Phæd.* Majus opus moveo, jam cunas luminis almi  
 Spectra colorifici fluitantia *Prismatis* oris,  
 Exequar, & subito votis meus adsit *Apollo*.  
 Sunt tria juncta simul cuneato Vitrea more,  
 Lamina quorum apices argenteus annulus ornat  
 Quæq; trahunt varios, adverso sole, colores.---

Opponas aciem vitri, qua rima coactum  
 Introdet solem, paulatim spicula lucis  
 Spargier a cuneis cernes, & fracta micanti  
 Ordine, discretâ chartam depingere luce.  
 Rubrifici emergunt radii, primoq; coruscant  
 Vestibulo, color inde elutior interpictos  
 Alternosq; vices subit & radius radium haurit,  
 Donec prisma jubar paulatim eduxerit omne.  
 Nam vitreâ veluti in telâ discriminat axis  
 Particulas lucis modo quæ diffusa nitore,  
 Lacteolo, in se continuit rudimenta coloris.  
 Exfilit inde ruber color, & non aureus alter  
 Defficit, inde levi flavescit charta rubore,  
 Naturæ viridis color hinc refractus, & illinc  
 Fimbria pallentem violacea purpurat umbram,  
 Donec in adverso prorepens parjete, sensim  
 Cæruleæ radius fluit in confinia lucis,  
 Quæ procul extremo determinat orbe colores.  
 Hactenus hæc, olim forsan majora canemus.---

Magnetis Terrella potens, mundusq; pusillus  
 (Cujus utrumq; polum circumdat ferreus orbis)  
 Me genium, dotescq; jubet describere versu.

*Pamph.* Quis lapidem attonito vulgo committet inermem?

*Hyl.* Sunt variæ dotes, veniuntq; e dote sagittæ  
Mirificæ, quarum ut fertur magneticus index  
Alteruter similis micat usq; tremoribus iisdem.

*Phæd.* Quot lapidem tetigere styli, tot semper eodem  
Conspirant motu parili ac si strinxeris unum,  
Sensim alium cernes trepidantem passibus æquis,  
Usq; adeo una quies simul est, tremor omnibus unus.

*Hyl.* Jam teneo quid sit, nova quæ commercia, *Strada*  
Finxit amabiliter, nec longa est fabula, narres.

*Phæd.* Cum procul a patriâ per disita rura vehamur,  
Ad quæ rara potest accedere Epistola, parvis  
His arcana notis, terra, pelogoq; feruntur:  
Sumite litterulis duo plana notata metalli,  
Et duplices parili attactas magnete sagittas,  
Si modo signa stylus tangat, tremit altera cuspis  
Litterulas versus, quibus absens scribit amicus;  
Et dubito an tacitâ Naturæ lege, vel ipso  
Particularum æstu per spiramenta lapilli,  
Cernere erit sensim trepidare volubile ferrum;  
Quæ simul ut socium conscivit, litterularum  
Circinat orbiculum, mucrone rotatilis hasta  
Articulat sensus, ictumq; reciprocatur ictu;  
Omnia dum verba attinget, quibus utitur alter,  
Trans fluvios, montes, Magnetica Questio fertur  
Ὅυρέα τε σιόένίη, Θαλάσσα τε ἠχθέσσα.

*Pamph.* Quid manet Ulterius--- satis en lustravimus ædes,  
Sed tu pollicitus contra meliora repugnas.

*Phæd.* Dii quibus imperium noctis, manesq; profundi,  
Si vacat, ad nostras animos advertite nugas.

*Hyl.* Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

*Phæd.* Sit fas visa loqui, faveas, *Proserpina*, Vati,  
Et nova *Circeæ* miracula pande *Lucernæ*,

*Phæd.* Hac mercede placet percurrere singula *Phædrum*.

*Phæd.* In medio fabricæ, magicæ sub limine portæ  
Ad libitum meat, & remeat versatile vitrum,  
Qualem oculum enormem veteres habuere *Arimaspi*.

Spiritus interiore ardentis pyxide vini  
Ebullit, speciosa dehinc miracula promens.  
Rite vaporiferum chrystallina Janua fulgur  
Colligit in centro, dum lintea candida fumo  
Horrifico pingit, variatq; crepuscula flammis;  
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem  
Cogitat hic Opifex, ut det simulachra Gigantum:  
Ac velut in speculo revolubilis aura tapetem  
Candentem tranat, signataq; Carbasa formis  
Pictura interior magicæ e regione fenestræ,  
(Quæ Lemures atq; ora modis pallentia miris  
Arte refert) tetras per vitrum trajicit umbras;  
*Jamq; videre licet quæcunq; videre licebit.*-----  
Stat juxta interpretis digitis, atq; indice linguâ,  
Admonet & sparsim tenues sine corpore formas,  
Huc volitare, illuc, fictæ sub imagine vitæ;  
Informat fumum motu, turbamq; coruscantem  
Immeritis onerat titulis, vacuoq; triumpho.

Sæpe etiam in scenis agitur res feria belli,  
Innocuis flammis paries quâ proximus ardet,  
Ut feryet rabies! ut turma *Evanida* scutis  
Dimicat aeriis, hastisq; minantibus hastas  
Impune. *Hyl.* Ah fictis tantæne vaporibus iræ!

*Phæd.*

*Phæd.* Umbræ ante exitium nec fata, nec horrida bella,  
 Pallentes ineunt, trepidantve occumbere letho,  
 Milite non alio crescentes duplicat umbras,  
 Non alio sternit vaga phasmata, nescia mortis  
 Et vitæ Legio.---- *Hyl.* Non multum abludit imago  
 Rerum Humanarum---- fumus, vapor omnis, & umbra est!

*Phæd.* His etiam ut cessat strepor, & fera mortis imago,  
 Indulgere juvat genio, atq; vacare choreis,  
 Ingreditur rutilos lusoria Nympha penates,  
 Nec levius segetes signavit planta *Camillæ*.

Interdum aeris pastor sub tegmine fagi,  
 Sollicitat dilectam *Amaryllida*---- *Tityrus* umbram  
 Deperit invitam, vacuisq; amplectitur ulnis.  
 Et præter reliquos, Larvæ imbellesq; Gigantes  
 Importuni adsunt, tenuem Spernuntq; triumphum,  
 Quanquam inter scenas mitrata incedit imago  
*Præfulis Italici, Florive* superbior umbra,  
 Mitram etiam invadunt umbræ, nunc ore protervo,  
 Et nunc sacrilego venerandas pollice barbas.  
 Usq; suo mendaci imitamine vitrea porta  
 Emittit vacuas referentia somnia formas.

*Hyl.* Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine donum?

*Phæd.* O si vel tempus, vel si solertia nobis  
 Suppeteret.---- *Pamph.* Voluisse fat est, si non datur ultra.  
*HELSAMII* forsan doctâ residere Cathedrâ,  
 Contingat tibi, dum late patulâ bibat aure,  
 Vulgus hians, vestro dictum quod manat ab ore;  
 Extremum jam, *Phædre*, mihi concede laborem,  
 Nec verbum adjiciam, precibus nec missus abibis.-----



E regione, domus, donata *Machaonis* arti est,  
 Tristis, operta, capax, studiis & idonea mortis,  
 Me pavidum terrent adstrueta cadavera muris,  
 Semesiq; artus, atq; arida symbola mortis,  
 Non robur, non æs triplex, mihi pectora firmat----  
 Quamcunq; ingredior cameram, formidine lustro  
 Pendentes cineres, ac detruncata virorum  
 Membra, manus, digitos, ac nidos ossibus albos;  
 Haud secus *Æneas*, per opaca palatia *Ditis*,  
 Ultrices *Furias*, morbosq;, cadavera, & umbras,  
 Pallidus evasit.----- Dixi, pavitanq; tremensq;  
 Quis cladem illius tecti, quis funera tanta,  
 Edidit? aut possit lachrymis æquare cruorem?

*Phæd.* Innocuam stragemq; salutiferamq; ruinam  
 Narras, tot mundos, quot corpora fracta virorum;  
*Davus* ut ille miser qui pasceret in cruce corvos  
 Si non post laqueum, melius sua fata sepulchrum  
 Præberent, jacet hoc quantum mutatus ab illo,  
 Qui dudum tenero furtum meditatus ab ungue est,  
*Deiphobus* tanquam laceratus naribus, ore,  
 Et vultu, & cerebro, stat vulnere totus in uno.

Sanguineæ affixus mensæ en, Sicarius alter  
 Cannabeo ereptus nodo, lignoq; trifurco,  
 Fusa per attonitum squallescunt crimina vultum,  
 Et pallet misero fatalis terror in ore:  
 Ut si disrupto insinuata cadavere, sensim  
 Vita redux, tabo rigidos tepefecerit artus,  
 An legeret, dubito, ringentem territa vultum,  
 Aut potius furcâ, & sua fata reposceret umbra.

Atqui his auxiliis, lachrymosâ hac cæde Virorum  
 Naturæ, vitæq; simul, patuere meatus;  
 Pæonios Medicus deduxit & inde labores,  
 Hinc Febrium sedes, læthiq; eubilia pandit,  
 Qua dolor, & mæstos rabies posuere penates,  
 Ultoresq; habitant morbi, tristisq; senectus,  
 Quid caput invadit, craniiq; palatia texti,  
 Ingluviem stomachi duplum, barathrumq; *Pylori*  
 Cur jecur, aut pituita (Stoæ jam dogmate spreto)  
 Philosophos angat, Bilisq; pathemata gliscant.

Si varios usus, si partes partibus aptas,  
 In fabrica quæras distinguere fingillatim,  
 Rectius humani modulum mirabere mundi,  
 Quam chartam graphicam, pictamve in pariete terram,

Scire datur nos ipsos intus & in cute, leges  
 Naturæ, & mundi spectacula rara minoris,  
 Cernere subtilem dorfi sub cardine spinam,  
 Sanguinis alternos æffus, & Systolen æquam  
 Fonticuli cordis, rubeos vitæq; canales;  
 Flexores fibræ quid præstant, quid cutis ima  
 Tessellata rubris venis, nervisq;, dolorum,  
 Atq; voluptatum tacito trepidantibus ictu.  
 Quid jubet accretos renes solidare lapillos,  
 Aut tenuem accensis *Pleuram* inflammescere costis,  
 Membranisq; intus positis propiusq; medullis,  
 Dum rabido usq; hæret lateri lethalis Arundo.

*Pamph.* Siste parum, auditis? Non est mora libera nobis,  
Poscitur; emittit sonitus *taratantara* murmur  
Æs rigidum, & linguâ fessas diverberat aures.  
Ite igitur, Juvenes, numerosâ compita pube  
Fervent, divisoq; fremunt lata atria cursu,

F I N I S.





## EPIGRAMMATA.

*An in Ideâ Fluxionis sit Antana-  
clasis ?*



LUXIO, sitne *nihil*, vel tantum non *nihil*, æque  
Philosophi certant---- lisq; renata probat:  
Nuper enim ideæ fraudes *Analysta fluentis*  
Monstrat, at id contra qui negat, *Alter* adest.  
Fluxio quivis homo est, mundi orbis fluctuat om-  
nis,

Et tacito fluxu volvitur usq; dies;  
Est quoddam prodire tenus----- si me satis audis,  
Ulterius mentem non licet ire meam.  
Fluxio quid *nascens*, quid præstat & *evanescens*?  
Exuperat motus Ars fugitiva suos:  
In qua concipimus, quod jam *Nihil* incipit esse,  
Et jam momentum desinit esse *Nihil*.

Fluxio nec *nihil* est, nec partes continet in se,  
 Vis formam similem fingere, finge *NIHIL*.

*In Corydonem.*

**F**ORTE Suâ, *Corydon*, inflante libidine venas,  
 Serpit ad infernæ scorta reperta domus;  
 Urget ut ingrato miseram *Sybarillin* in antro,  
 Stramineo fundit languida membra toro:  
 Dic *Corydon*, vani si te docuere parentes?  
 Descendit fateor, jam meus, inquit, Amor.

*An Ars sit Naturæ rivalis. Affirmatur.*

**C**UM mihi fors puero focios conjunxerat æquos,  
 Et præter solitum lusimus usq; leves,  
 Rite tubo *Bullam* affixo formavimus ori,  
 Et cito discutimus, quem facit aura globum.  
 Plasticus ut Pulmo vult, emicat unus & alter  
 Orbiculus,---- *Nebulas* sphærica lymphæ petit.  
 Ut placet, atq; novâ mens est dulcedine capta,  
 Dum trepidare procul spectat *inane* micans:  
 Gutta super riguis dum ludit pendula ventis,  
 Sustinet & vitreum densior Aer onus.  
 Tandem impar *Zephyris* toto scintillat in orbe,  
 Et picto recidit roreus imbre globus;  
 Mirabar, sed certa fides, litem abstulit omnem,  
 Si foret immensi sphærica massa maris:  
 Ars, lymphas tubulo tantum fictrice rotundat,  
 Non plus Naturæ, debuit unda parens.

*An geminæ sint Somni portæ?*  
*Secundum Virgilium. Affirmatur.*

**D**UM stertis, Corydon, somno, vinoq; sepultus  
 Dissolvens Zonam fœmina visa tibi est.  
 Ah vigila, nec ficta putes & somnia vana,  
 Introdât somnum *cornea porta* tuum.

*An detur Aurum fulminans?*  
 Affirmatur.

**D**EPLUIT ut riguo liquefactum Numen in auro,  
 Virginis in gremio gratus Adulter erat,  
 Majestas pretio cedit, sua fulmina nummo,  
 Nec minus omnipotens est nova forma Dei.  
 Explicat arcanum *Chymicus*, quod fulminat aurum,  
 Cum peteret *Danaen*, Quis negat esse *Jovem*?

*An Corpus sit absq; Spatio.* Negatur.

**Q**UID cupiunt Nymphæ quibus intus flamma medullis  
 Virgineisq; genis, conscius urit amor,  
 Cur queritur *Daphnis*, Veneris qui concipit ictum,  
 Mascula fœmineo membra carere loco?  
 Materiam spatio Natura accommodat omni,  
 Particulis rimam non finit absq; suis,  
 Competit omnimodo vacuo, *Dimensio Trina*,  
 Sic semper maneat *Cartesianus Honos*.

*An Manes supersint corporibus*

Negatur.

**A**RBORIBUS (quibus hæc *Academia* floruit olim)  
 Amissis, damno spes mea tota perit ;  
 Æquævæ sacris fylvæ cecinisse sub umbris,  
 Et simul arboribus consenuisse suis  
 Optarem, ut primum me fors mea fecit Alumnum :  
 Sed nox immeritum perdidit una nemus ;  
 Ut perit Annorum decus, Arboribusq; vicissim  
 Suppeditat proprios fylva recisa rogos !  
 Quæ fera luxuries mortis ? quis barbarus Auctor ?  
 Innocuæ *Dryades* cur meruere mori ?  
 Credidimus manes truncis superesse peremptis,  
 Interit hic miserum corpus, & umbra simul.

*An Materia sit infinite extensibilis ?*

Affirmatur

**M**ONSTRAVIT mira, certa at ratione, *Mathesis*,  
 Materiem omnigenum posse replere locum ;  
 Quodlibet usq; adeo tenuari corpus, ut omne  
 Particulas spatium possit habere suas :  
 Mica salis data fit, locus & fit orbita Terræ ;  
 Circinet immensum parvula mica globum.  
 Ulteriora etiam circumdet sydera micâ  
 Pars minor---- & *Minimum* non licet usq; dari !

Jam Simul *Euclides* habeat ( granoq; *Sinapis*  
Quæ Cælum *Æquiparat* ) \* *Littera sacra*, fidem.

---

\* *Refert ad S. Sancti Evangelii textum de ortu ejus atq; incre-*  
*mentis.*

*F I N I S.*





[ 27 ]

The [unclear] [unclear] [unclear]  
[unclear] [unclear] [unclear] [unclear] [unclear]

[unclear] [unclear] [unclear] [unclear] [unclear]

100

[unclear] [unclear] [unclear]  
[unclear] [unclear] [unclear]



